

proh dolor! Gymnasium tam bene constitutum, tan-
tisque ornatum doctoribus, ex quorundam consilio,
anno M DCC XXVII. fataliter corruit. Ego ipse po-
stremo tempore provinciam professoris *eloquentiae*,
Græca lingua & poëseos ordinarii in eodem admini-
stravi.

§. IX. Quos pro dignitate primo loco laudare
debueram, *Duces Vinarienses*, eorum merita ultimo
loco collaudabo. Eos omnes religionis fuisse tutores
& Musarum statores, supra laudatus *Müllerus in an-*
nalibus suis ostendit. Vicit hos & quam longissime
vicit Serenissimus Celsissimusque Saxonie Dux *ER-*
NESTVS AVGVSTVS, cui STRENUI cognomen
merito vindicatur, & in peculiari dedicatione a me
vindicabitur. Huius *instructio pastoralis* in b. *D.*
Gottl. Slévogtii compendio iuris ecclesiastici, erudita
præfatione illustris *D. Bæhmeri* ornato, omnibus
commendatur Principibus & consistoriis.

§. X. Indulgentissimi huius Patris patriæ amor
in elegantiora studia etrumque sedes variis modis est
declaratus. Nam non solum an. M DCC XII. com-
munibus cum Serenissimo Patruo sumtibus *illustre*
hoc Gymnasium condidit; sed etiam, cum solus rei-
publicæ præesse cœpit, *de emendando Gymasio* statim
præclare fuit sollicitus, ut formam plane novam illud
induisse videatur.

X 3

§. XI.